



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA.

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
mane discussienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimæ
secundæ mensis Decembris, anno Domini M: DCC. XLIV.

M. JACOBO VERDELHAN DES MOLES,
Doctore Medico, Praefide.

An Temperamenti diversitas, à diversa fibrarum constitutione?

I.



ERITUM te juvat Medicum haberi; humanum corpus in primordiis sedulò inquire; impigri meta laboris, ipsius cognitio. Propositi tenax, quot naturæ deteges arcana, quorum solerti ingenio alia, alia oculis investigabis. Naturam sibi semper similem singulas singulorum corporum partes, unâ velut elementari materie confusas deprehendes; genio indulge: hanc ageriem puta, partium minimarum, simplicium, terestrivm, vixque corporis virtutem.

A

2

bus mutabilium, quæ glutinis cujusdam ope tenuissimi unitæ, fibrillas dant omnium minimas, seu villos simplices, teretes, distractiles, elasticos, &c. Fibrillæ plures in unum aggestæ, varios in fasciculos, aut in diversa abeunt strata; sique arte non parum mirandâ, singulas corporis partes efformant; harum omnium confusus, & variâ dispositione nostra stupenda exurgit machina: dissimilium usu & structurâ, dissimilia forsan suspicaris rudimenta; at fuge, quamlibet partem texturâ solùm dissimilem edocebit naturæ simplicitas, accurata partium embryonis evincere observatio. Verùm curiosus naturæ perscrutator altiora indagare contendis. Quantus tibi imminet labor? vel ipsi doctiores hærent in incerto, quâ arte molecula vermiculi formâ fluido innatas, aut in ovulo inclusa, evolvatur, accrescat, quodnam prius efformetur organum, quâ vi, quo duce adunentur, cohærent, agantur omnes & singulæ partes.

*Compago mira corporis nostræ, dei
Miraculum est solertia.*

Naturæ mysteria tutius admiraberis, quâ temerè perscrutaberis. *Natura iussus dei est quæ res est id quod est, & agit quod agere iussa est. Dicernuntur & augentur omnia membra simul, non alterum altero prius, nec posterius. Quæ tamen nativâ sunt majora minoribus priora conspicuntur, licet non prius genita sint. Ex legibus ortui coevis, à determinatâ partium structurâ & positione fluentibus, singulis animatae machine organis obeundæ functiones nec impedita, nec retardata inditur facultas. At quanta varietas? Quot in diversis individuis observanda discrimina? Non morbi quidem sed idiosyncrasie, seu specificæ temperiei fons & origo; quæ sanè temperies à villorum naturali constitutione repetenda.*

T.I.

CUNCTARUM corporis humani partium substantiam, molem, figuram, situm, connexionem, structuram, communicationem, numerum sectionibus anatomicis quantumvis sedulâ manu inquiras, detegas mechanismi corporei modum desiderabis, nisi solidorum actiones, & fluidorum vires, simul & seorsim exploraveris. Fibra quævis distentionis & restitutionis capax, vi quâdam nativâ donatur, quâ distenta pristinum nititur recuperare statum. Hanc elaterium seu vim elasticam dixere. Prævia adhuc distractio, & causa distractio, haens auferatur. Musculum, tendinem, nervum transversum seca, elaterii palam erunt effectus. Vis elasticæ pro diversâ partium texturâ, nexus, situ, molilitate, flexibilitate, innumeros intentionis aut remissionis gradus obtinet. Hui propè similis, nec satis forsan explorata, actio tonica, villo in omni sensili deprehenditur, qua absque præviâ distractio, sui præberet indicia haud obscura; non voluntatis sed liquidi animalis, seu generis nervi soboles. Hujus major, nunc minor est energia. Vigiliâ intēnditur, remittitur somno, morte cessat. Tristitia, gaudii, iræ, furoris, mororis, irritationis stupendos expende effectus, haud dubia præstò sunt vis illius argumenta: & hujus & illius vis, carnea omnis fibra particeps, insuper vi propriâ musculari dictâ insignitur. Hic autem hujus exponere mechanismum abs re foret. Triplex actio enumerata, vel motus est, vel ad motum nixus, qui à fluidis pender & oritur: horum dotes physicæ explorantes, tres sibique mutuò opitulantes motus animadvertemus. Unum ab ipsâ fluiditate, liquida enim *moleculis* summè ductilibus, laxis, mollibus constantia, vel

3

levissimæ causa impellenti obsequuntur: circulatorium & projectilem alium, quo fluida vi cordis acta, arteriarum systole pressa, muscularum actione propulsæ singulas corporis partes altuant, vivifico qualibet liquore irrorant, sive totius economiæ animalis ordinem tuerentur atque mechanismum. *Vulnus tertium;* intestinus dicitur, particularum in se se invicem, & in vasa impingentium motio, quâ se se atterunt & atteruntur, mutant & mutantur, adeò ut succorum elaboratio succedant & defecatio. Solida inter & fluida irrequeta lucta, indefinis prælum: amico illo dissidio stat vigetque sanitas, quæ quâdam donatur *latitude,* &c. modo nostris usibus non sit inepta; undè exurgit *temperies,* remotè à diversâ humorum pendens fluiditate, & varia eorum determinatione, liquida enim vasis coercita, cujuslibet loci, formæ & situs capacia, infinitè diversos fluiditatis gradus ab ipsâ solidorum actione nanciscuntur.

I I I.

PRO diversitate fibrarum constitutionis, tensionis scilicet, laxitatis, flexibilitatis, molitie, rigiditatis, &c. variat solidorum vis & actio; chorda non uno eodemque modo texta, tensa sibi communicatum diutius motum conservat, latius propagat; quidni diversa fibrarum constitutio, variam ipsis impertiret energiam, & consequenter majorem aut minorem, sexcentisque modis variatam in contenta fluida actionem? Musculi, tendinis, cujuslibet visceris usum adverte, perfrutare fabricam, diversam texturam intendere motum aut minuere exploratum habebis. Ultrà refragaris. Singulas hominis etates explora; incrementi, statu, decrementi causam & mechanismum meditare: pulposas primùm, molles, flexiles, distensioni faciles, dein firmiores, situs tenaciores, rigidas tandem & motui ferè impares fibras agnosces. Ex illâ fibrarum constitutione, latus & æqualis, rapidus & sàpè sàpius inordinatus, tardus & minoribus in vasis vel propè nullus motus impertitur humoribus: quid plura? athletam, debilem, mitem, gracendum, ingeniosum, stolidum, fanum, morbo tentatum intuere. Diversa functiones adimplendi aptitudo, ex dispari fibrarum tensione, laxitate, contractione dissimili, in contenta fluida non èdem actione: hinc infinitæ temperiei mutationes, infinita discrimina.

I V.

NISSI quis noverit qualis à principio fuerit constitutio in corpore primas tenens, que homini conducant, proferre par non erit. Cujusque morbi tamia magnitudo est, quantum à naturali statu recedit, quantum vero recedat, is solus növit qui naturalem habitum ad amissim tenetur, hæc prima constitutio, naturalis habitus temperies cuique peculiaris à naturâ concessa, & pro temperiei diversitate, variat & causæ morbificæ vis, impetus, nec minus dispar curatoria methodus. Quâm autem arduum apprimè callere, quid temperamentio adscribendum, quid denegandum; quo usque integrâ sanitate intendatur, vel remittatur tonus fibrarum. Is nodum solvit cui absoluta anatomia cognitio, perfecta humorum indoles, utriusque mechanics æquâ lance actio ponderata, quem non fugit quid possit vietus, quid valeat confuetudo, quid det solum, quid operetur aer: quem non latet strictum mentis cum corpore commercium: cuius experientia ratioci-

9

nio ducitur, ratio experientiâ fulcitur. Claudiat Medicina, solâ observatione innixa; luminibus orba, solo ratiocinio suffulta; foli ratione consulens titubat sophista, observatione & experientiâ superbiens cecutit empiricus, utrâque duce firmo tuto-
que pede incedit methodicus.

V.

ANTIQUI Medicinæ proceres æqui rerum estimatores, motuum naturæ seduli exploratores, diversam diversis in hominibus temperiem agnoverunt: temperamenta enim in calida, sicca, humida, frigida distinxere, nec causam attigerunt, horum opinioni parum refragamur. Eadem diversis in hominibus prædominari qualitates non diffitemur, verùm à variâ fibrarum constitutione repetendas ultrò afferimus; exinde enim vera & genuina temperiei ut ut composite facilis negotio erues aëtiologiam: nec arguas à primis rerum elementis deducendam temperiem, nos latet horumce elementorum natura & forsitan in eternum nos latebit. Objicies forsan humorum cuidam prædominanti adscribenda temperamenta: sanguini nempè, bili, &c. sive biliosum, sanguineum, &c. temperamentum. Ast ne animum altius opinione imbuas; effectus non causam prædictas: fluida: genesim à solidorum actione mutuantur, hec non temperamentorum, sed dominantium humorum sint nomina: nec infestes temperiei mutationes à fluidis determinari, hac siquidem indeole, motu variant; symbolum certò conferunt; ast conjuncta semper causa va-
forum actio, ex quâ diversæ constitutions quæ, ab optimâ sanitate, specie non differunt, sed majoris aut minoris ratione..

Ergo Temperamenti diversitas, à diversâ fibrarum constitutione..

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Josephus-Exuperius Bertin.</i>	<i>M. Gedeon de Rabours.</i>	<i>M. David Vasse.</i>
<i>M. Joannes-Ludovicus-Livinus Baude de Lacloy, Bibliotheca- ce Facultatis Prefectus.</i>	<i>M. Laurentius Ferret, Chirur- gia Gallico Idiomate Profes- tor.</i>	<i>M. Andreas-Joseph Scron.</i>
<i>M. Carolus Dionis.</i>	<i>M. Joannes Midy.</i>	<i>M. Thomas-Renatus Gasnier.</i>

Proponebat Parisiis, P A S C A S I U S B O R I E , Palensis, Doctor Monspeliensis, Saluberriæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Bacca-
laureus, A. R. S. H. 1744, à sextâ ad meridiem.